



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Libellus Sodalitatis: Hoc Est: Christianarum Institutionum Libri quinque

Coster, Franciscus

Antverpiæ, 1587

14 De euagatione in oratione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46553](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46553)

DE ATTENTIONE IN ORATIONE.

ORANTI Deū necessaria est attentio ad orationem, ne mens huc illucq. vagetur. Est autem attentio triplex. Prima ad verba, vt ea rectè efferantur: secunda ad significationem, vt homo intelligat ea, quæ profert: tertia ad Deum, qui oratur, & rem ipsam, quæ petitur. Atq. hæc postrema est præstantissima, quæ & doctis simul & indoctis conuenit, Deoq. est acceptior, vtpote cū quocor hominis coniungitur. Hæc enim attentio haberi potest ab illiteratis, dum Latine orant, tametsi verbum nullum orationis intelligant, quia sufficit vt Deus intelligat, qui oratur, vtque ad eum mens & desideria ferantur.

CAPVT XIII.

DE EVAGATIONE IN ORATIONE.

IN oratione tribus de causis hominē vagari contingit. 1, Sponte sua, dum cogitationes externas accersit, aut aduenientes sciens atq. aduertens admittit, in iisq. heret. Quo in genere etiam sunt illi, qui opus aliquod orando præstant, quod peculiarem mentis attentionem requirit: veluti est scribere, legere, rationes subducere, &c. Alia opera externa, quæ attentionem peculiarem non requirunt, non impediunt orationem: vt sarcire, ambulare, secare, &c.

E s Hoc

Hoc porro primum diuagationis genus, ex se naturaꝫ sua est peccatum mortale, propter voluntariam atq. deliberatam irreuerentiam. Tametsi enim ad orationes, quas sponte proferis, non obligeris: ad hoc tamē teneris, ut non nisi reuerēter cum Deo agas. sicuti qui non tenetur conuenire aut alloqui Regem: tenetur tamen conueniens Regem honestè se gerere, non exprimens e manu scabiem, non unguis scindens, non alia id genus inhonesta agens. Vnde qui hoc genere euagationis sacris diebus Missæ officium audit, vel preces horarias, ad quas obligatur, recitat; nullo pacto satisfacit præcepto Ecclesiæ. 2, Negligentia sua irrepunt, & inhærent homini externæ cogitationes, qua in re est peccatum veniale, tanto sanè grauius quanto negligentia est maior. Veluti in illis, qui externos sermones miscunt precibus suis. 3, Homini inuito alienæ cogitationes incidunt: quas cum primum sentit, dolet atque repellit: in quibus nullum omninò inest peccatum, quippe quæ à sola dæmonis arte, vel humana fragilitate proficiscuntur. Et hæ distractiones quantumuis suauitatem orationis impediunt; non tamen vel meritum, vel fructum, qui est, impetrare quod postulatur.

CAPVT